



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

50. Calixtus II. Papa, petente sorore sua Clementia, Flandriae Comitissa, an. 1121. firmat Bornhemiensis ecclesiae regimen, Affligemiensibus commissum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

C A P V T L.

Calixtus II. Papa, petente sorore sua Clementia, Flandria Comitissa, an. 1121. firmat Bornhemensis ecclesie regimen Affligemienfibus commissum.

CALIXTVS secundus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Fulgentio Abbati, Affligimensis monasterij, quod ad honorem B. Petri Apostolorum principis in Cameracensi diocesi situm est, eiusque successoribus, regulariter substituendis, in perpetuum.

Quæ religionis intuitu statuuntur, inconuulsa debent stabilitate seruari. Siquidem venerabilis frater noster Burgardus, Cameracensis Episcopus, consilio & assensu Archidiaconorum ac reliquorum clericorum ecclesie suæ, consilio etiam & hortatu venerabilis fratris nostri Rodulphi Remensis Archiepiscopi, (sicut in eorum missis ad nos litteris continetur) necnon & rogatu & supplicatione Sifridi Bornhemensis Abbatis & fratrum suorum, Affligimenfium monasterio Bornhemensem commisit ecclesiam, vt in ea deinceps monastici ordinis disciplina, per Dei gratiam, habeatur.

Olim quidem in loco eodem Ordo fuerat canonicus institutus; sed guerris superuenientibus, tanta paupertatis inopia coarctatus est, vt neque Ordinem canonicum conseruare, neque per se in ecclesiastica quoque posset honestate persistere.

Nos itaque tam prædictorum fratrum, quàm & sororis nostræ CLEMENTIÆ, Flandriensium Comitissæ, quæ ipsius loci dispensatrix est, petitionibus annuentes, & de religione vestra plurimum confidentes, prædictæ Bornhemensis ecclesie commissionem præsentis priuilegij pagina confirmamus.

Statuentes, vt auctore Deo, in Affligimensis monasterij vnitatem ac subiectione, sub regula monastica disciplina, in perpetuum perseueret, ita nimirum libera & quieta, sicut antea in Ordine Canonico fuerat, cum altaribus de *Hauesdunc*, *Hingem*, *Gereberga*, *Rimembam*, *Merbecloa*, & cum omnibus, quæ in præsentem legitime possidet, vel in futurum, largiente Deo, iuste atque canonicè poterit adipisci.

Nulli ergò omnino hominum facultas sit, præfatam Bornhemensem

mensẽ ecclesiam à dispositione vel subiectione vestri monasterij remouere, seu qualibet occasione subtrahere, possessiones eius auferre, vel temerarijs vexationibus fatigare: sed ita sub vestro monasterio maneat, sicut à prædicto fratre nostro Burgardo, diœcesano Episcopo, constitutum, & ipsius chirographo confirmatum est.

Si qua igitur in futurum cuiuslibet dignitatis ordinisue persona, nostræ huius confirmationis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, honoris & officij sui periculum patiat, aut excommunicationis ultione plectatur; nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Qui verò conseruator exstiterit, Dei omnipotentis, & Apostolorum eius Petri & Pauli benedictionem, & gratiam consequatur, amen, amen, amen.

Ego CALIXTUS Catholicæ ecclesiæ Episcopus laudauit.

Datum apud S. Petrum, per manum Chryfogoni, S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Bibliothecarij, III. Februarij, Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo vigesimo primo, Pontificatus autem domini Calixti secundi Papæ tertio,

NOTATIO.

CLEMENTIA) Guilielmi Burgundiæ Comitis filia, Calixti II. Pontificis Romani soror, primùm Roberto II. Hierosolymitano, Flandriæ Comiti, post Godefrido Barbato, Lotharingiæ Brabantique Duci, nupta fuit.

CAPVT LI.

Henniacensis ecclesia (qua est hodie Canoniorum regularium Abbatia, in diœcesi Atrebatensi) ab omni seculari potestate liberatur, an. 1123. per Carolum Bonum Flandriæ Comitem.

IN nomine sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen.

Ego KAROLVS, Dei gratia Flandrensiũ Comes, notifico omnibus Christianis, tam futuris quàm præsentibus, quòd Balduinus Dapifer meus, & Balduinus, filius Lethardi, & vxor eius Gerberga, con-